



Disputatio medica inauguralis de diarrhaea

<https://hdl.handle.net/1874/345163>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

DIARRHÆA,

QUAM
FAVENTE TRI-UNO NUMINE

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, ac Nobilissima
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè
ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

JOHANNES KOPERMAN, Amstel. Bat.

Ad diem 17. Octob. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō Iōc xci.

DISPUTATIO MEDICA
 ANNO 1707
 DE

DIARRHEA

QUAE

TAVENTE TRIUNO NUMERIS

EXAMINATA A MAGISTRO P. FABRIZIO

JACOBI VALLANI

M. D. FABRIZIO & FABRIZIO MED. PRACTICORUM ORDINARIIS

IN E. N. O. N.

ANNO 1707

PRO GRADU DOCTORATUS

IN MEDICINA HONORIS ET PRIVILEGII

IN UNIVERSITATE PAVIAE

IN ACADEMIA PAVIANA

JONANNE KORRMANNI, M. D.

PHYSICO PAVIANO



TRAJECTI ad RHENUM

Ex Officina Praeaevisci Halmae, Academicis

Typographi, cl. 1707.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DIARRHÆA.

THESIS I.



uctores (veteres præsertim) solent ab etymologiâ suos incipere tractatus, quorum vestigia sequuturus in materia de Diarrhæa pro inaugurali disputatione, dico hunc affectum nomen habere a Græco verbo διαρρῆω, per fluo, à δια per & πρω fluo: latinis alvi profluvium, belgis Suppè-loop dicitur.

§. II. Verum ex dictis vocibus multi possent decipi, quod scilicet sic describatur omnis alvi fluxus, quæcunque etiam sit species, v. g. lienteria, cæliaca passio, dysenteria, &c. necesse itaque est, ut distinctius determinetur, quid hic intelligatur per dictam vocem.

§. III. Diarrhæa hic est illa species alvi fluxus cum vel sine dolore, in qua humores excrementi sui sine sanguine, aut alimento, & sine exulceratione intestinorum excernuntur crebrius.

§. IV. Iterum monemus, nos hic potius agere de Diarrhæa morbo, quam symptomate.

§. V. Diagnofis Diarrhææ ex §. 3. patet: scilicet, quod adsit frequentior alvi dejectio, eaque cum vel sine dolore; sine tamen exulceratione, sine alimento, sine sanguine.

§. VI. Verum necesse est ut benè distinguatur Diarrhæa à cæliaca passione, lienteria, dysenteria, &c alvi fluxibus.

§. VII. Differt ergo à lienteria, quod in lienteria cibus non aut vix mutatus, sed prout fuerat assumptus, per alvum celeriter excernitur: in Diarrhæa verò mutatus jam in humores excrementitios, ut dictum est §. 3.

§. VIII. A cæliaca passione, in qua dejectio crebrior est per alvum, sed alimentorum crudorum & imperfectè coctorum, secus ac in Diarrhæa.

§. IX. A dysenteria differt, quod dysenteria sit frequens & cruenta alvi dejectio cum ventris dolore corrode, & rosione, ac torminibus ab intestinorum exulceratione, & ideo nominatur fluxus alvi sanguinolentus: adde quod plerumque febris, vigiliæ, sitis, fastidium cibi, &c. adsunt. In Diarrhæa non est sanguis &c. sine illo dolore corrode, erosione & exulceratione intestinorum.

§. X. A fluxu hepatico dignoscitur, quod in eo serosi & sanguinei humores loturæ carniū similes excernuntur, sed sine dolore & erosione. In diarrhæa nulli humores sanguinei, sed excrementitii.

§. XI. A *Tenesmo* distinguitur hoc modo: quod sit in eo assidua desidendi cupiditas, nihil tamen præter mucosum quoddam & subcruentum aut purulentum excernitur, cum dolore: in diarrhæa non illa cupiditas est, sed ipsa dejectio.

§. XII. Partes affectæ proprie sunt intestina tam tenuia quam crassa, & ventriculus, sed minus proprie & remotius: aliquando hepar, lien, cerebrum, mesenterium, uterus, pancreas, & vesica, fellis, imo totum corpus sic affici dicitur.

§. XIII. *Causa* hujus affectus varia est, ut patet ex ipsis dejectionibus, non enim omnes humores excrementitii per alvi fluxus evacuati (licet sint sine sanguine & alimento) sunt ejusdem naturæ.

§. XIV. Aliquando enim excrementa ardentia & spumantia, colore flavo & citrino tincta, biliosa dicuntur; quod scilicet bilis hoc colore maxime apta est tingere fæces, vide *River. centur. 1. observ. 33. & cent. 2. observ. 59.*

§. XV.

§. XV. Aliquando materia lenta magis atque aquosa absque illo dolore, ardore & torminibus intestinorum excernitur, & *pituitosa* dicta est, quod scilicet pars sanguinis *pituita* dicta in intestinis hic maxime peccare credatur, vide River. *cent. 2. observ.*

§. XVI. Aliquando materia humida, tenuis, acris & quasi diluta omnino per alvum excernitur, & *serosa* dicitur, vide River, *centur. 2. observ. 89.*

§. XVII. Aliquando materia terrestris quasi adusta evacuetur & *melancholica* dicta est, quia hic maxime evacuari putarunt partes sanguinis *melancholia* olim dictas.

§. XVIII. Hinc quatuor Diarrhææ species: *biliosa*, scilicet, *pituitosa*, *serosa*, & *melancholica*; quatuor itidem causæ: *bilis*, *pituita*, *serum*, & *melancholia*.

§. XIX. Facilis jam doctrina de causis erit: Diarrhææ *biliosæ* causam agnosco bilem peccantem, tum quantitate, maxime vero qualitate, scilicet acrimoniâ.

§. XX. *Bilis* *quantitate* excedente peccans causam agnoscit *materialem* assumpta calida, pinguis, dulcia, amara, &c. *Efficientem* autem caliditatem præter naturam partium sanguificationi dicatarum, nec non iram, motum, nimiam vigiliam, & similia.

§. XXI. *Qualitate* peccans acris *bilis* causam agnoscit assumpta corruptibilia, ut sunt fructus horarii, melones, pruna, &c.

§. XXII. Diarrhæa *pituitosa* causam habet *pituitam* in corpore, præcipue in ventriculo & in intestinis excedentem.

§. XXIII. *Pituita* adeo peccat, vel quia nimia copia generatur, vel quia non excernitur.

§. XXIV. Generatur nimis illa quoad materiam, ob assumptorum frigiditatem, humiditatem, visciditatem, &c. quod attinet ad causam efficientem, suam originem habet à frigiditate partium chylicationi dicatarum, &c.

§. XXV. Retinetur seu non excernitur *pituita* excrementitia ob quævis exterius applicata frigida, unde induci possunt ven-

triculi

6 DISPUTATIO MEDICA

triculi intestinive contractio nimia, &c.

§. XXVI. *Melancholica* diarrhææ causæ sunt humores melancholici, atræ, bilis abundantia: illam autem producent assumpta cruda & terrestria, sicca, salsedine abundantia, sanguinis motus minor inductus per soporem, otium, tristitiam, cogitationum fixitatem, hæmorrhoidum suppressionem, &c.

§. XXVII. *Serosa* diarrhææ causa est seri in massa sanguinea abundantia, & acrimonia, ac proinde etiam in toto corporis habitu: sive generatio illius validior ei occasionem præbuerit, sive excretionem inhibita copiosius congeratur serum. Ratione materia ex usu largiore aqueorum, sæpe etiam salsedine præditorum: huc Julapia, serum lactis, aqua salsa, unde talis sanguis, inde acrior lymphæ; quæ per ductum pancreaticum & glandulas intestinales ac ventriculum delata diarrhæam efficit. Ratione efficiæ ob partium sanguificationi dicatarum frigiditatem atque debilitatem, sanguinisque motum minorem: huic constitutioni otium, sopor, tristitia, aer frigidus, excretiones inhibita causam præbent, omniaque, quæ urinæ sudorisve suppressionem producere valent.

§. XXVIII. Ad prognostica tandem accedimus; diarrhæa non semper mala est, præsertim si non symptomata sed critica sit, & brevi tempore duret, nam materia peccans solvitur, ut Hippocrat. recte docuit *Aphorismo 2. sect. 1.* ubi ait: *in perturbationibus ventris & vomitibus spontaneis si talia purgantur qualia oportet consert & leviter ferunt, sin minus contra: & dico cum Celso: uno die fluere alvum sæpe pro valetudine est, atque etiam pluribus dum febris absit, & intra septimum diem conquiescat; purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat niliter effunditur.*

§. XXIX. Sed longo tempore perseverante, malum periculosum est, interdum enim tormina & febriculas excitat, viresque consumit, & metus est, ne patientes incidant in atrophiam, cachexiam, lenteriam, & dysenteriam, aut alia similia. Sed non in omnibus Diarrhæa æquè mala: ratione enim *ætais* major spes ad curationem in infantibus, pueris, & juvenibus quam
in

in senibus: ratione *sexus* minus periculosus est affectus in viris, imo & in aliis *fæminis* quam in gravidis, unde Hippocrat. docuit, *mulieri in utero gerenti si alvus multum fluat periculum est, ne abortiat.*

§. XXX. Igitur prout varia succedunt symptomata, variat prognosis: est bonum signum, quando diuturno alvi profluvio sponte supervenit vomitus, alvi profluvium enim solvit, vide Hippocrat. *Aphor. 15. Sect. 6.* malum vero, si dejectiones varii coloris sunt, & si dejectiones lividæ, nigræ, crocæ, & oleosæ.

§. XXXI. Curatio hujus affectus pro varietate causarum varia est: primo ergo attendendum ad pravorum humorum præparationem, temperationem & evacuationem, per medicamenta purgantia, & postea per roborationem viscerum per medicamenta corroborantia, adstringentia & consolidantia: quoniam autem dictum, pravy illos humores varios esse, vel bilem, vel serum, &c. proinde varia evacuantia præscribimus: si ergo à *bile* causatur, indicatio debet esse, primo bilem præparare & temperare & evacuare per cibos, potus & medicamenta, quæ vim habent bilem temperandi & evacuandi: medicamenta illa in institutionibus apud Sennertum, Riverium & alios auctores cholagoga vocantur, qualia sunt rhabarbarum, cassia, tamarindi, manna, &c. Ubi hoc sufficienter factum, per adstringentia & corroborantia ventriculus & intestina corroborentur, qualia sunt diascordium, confectio hyacinthorum, &c. quando causatur à *pituita*, sero & melancholia, illa exhibenda, quæ pituitam evacuant, & ab autoribus vocantur *Phlegmagoga*, *Hydragoga*, & *Melanogoga*, quorum cathalogum habet Sennertus; ex quibus simplicibus possumus facile componere varias formulas secundum conditiones ægri & circumstantias; ex. gr. pro viro triginta annorum laborante diarrhæa biliosa præscribatur statim tale apozema.

℥. Rad. Cichorei

Taraxic.

Symphyti an. ℥℞.

Herb. Fumarie

Acetose an. Mj.

Coquantur in s. q. aq. hordei, colatura ad ℥vj. adde

Syr. Cichorei s.

Symphyti an. ℥℞.

Fiat Apozema, de quo sumat Ager aliquoties in die.

Postea purgetur cum sequente haustu.

℥. Rhabarbar. Optim. ℥j.

Mirobalanor. Citrin. ℥℞.

Santali Citrini ℥j.

Infunde per noctem in aq. plantagin. q. s. colatur. ℥iij.
adde

Syr. Cichorei C. rheo ℥℞.

Fiat haustus pro una dosi mane jejuno ventriculo sumendus.

Si vero non tam purgare quam adstringere indicatio est.

℥. Rhabarb. tosti ℥ij.

Mirobalanor. Citrin.

Nuc. Moschat. an. ℥℞.

Fiat pulvis, qui cum jusculo sumatur.

Si æger à potu & pulvere abhorreat tales pilulæ erunt præstantissimæ,

℥. Extract. rhei ℥j.

Laudani Opiat. gr. j.

Ol. Macis gutt. ij.

Fiant Pilulæ No. 5.

ante & post purgationem clysteres detergentes injiciendi sunt ut acres particulæ intestinis adherentes detergentur & intestina sese contrahant.

℥. Lact. Chalybiat. ℥viij.

Viteller. Ovor. No. ij.

Mel Rosar. ℥j.

I. N. A. U. G. U. R. A. L. I. S.

Diascord. Frac. ℥ij.

Fiat Enema.

Pro potu ordinario tale claretum ad adstringendum valde utile est.

℞. *Conf. Rosar. Rubr.*

Mira Cydonior. an. ℥j.

Decoct. Hordei c. Raf. c. c. ℔ij.

Fiat s. art. claretum, addendo

Syr. Cydonior. ℥vj.

Aq. Cinamomi ℥ij.

Vel

℞. *Amygdal. dulc. excortis. ℥ij.*

Sem. Cucumer.

Melon. an. ℥j.

Papav. alb. ℥i.

Decoct. Hordei ℥xx.

Fiat s. art. emulso, cui adde

Syr. Cydonior. ℥j.

Aq. Cinamomi ℥ij.

M.

ad magis adstringendum.

℞. *Aq. Plantagin.*

Cichorei an. ℥ij.

Cinamomi ℥j.

Conf. Hyacinthor.

Diascord. incompl. an. ℥ij.

Laud. Opiat. gr. ij.

Fiat mixtura coshbeatim sumenda.

ex dicta confectione & diascordio, &c facile possumus facere

conditum vel bolum.

§. XXXII. In aliis causis debemus medicamenta variare ut

supra diximus.

§. XXXIII. Sed diæta in omni curatione, & etiam hic magni

momenti est: in victus ergo ratione in diarrhæa biliosa ad tempe-

rationem, aër ad frigidum declinet, cibus sit moderatus, ne ven-

tricu-

triculum gravet, vel corrumpatur, panis bene coctus & facilis digestionis, caro vervecina, vitulina, & omne genus avicularum montanarum, pisces saxatiles, succo arantiorum, citriorum, &c conditi: ad evacuandum & temperandum simul valent portulaca, Lactuca, Acetosa, Cichoreum, Endivia, &c. ad corroborandum & adstringendum sunt carnes dictæ. Sed ad magis adstringendum mespila imatura, cydonia, pyra, & alia similia profunt; quæ tamen cocta non cruda usurpanda sunt. Vitentur omnia pingua, dulcia, amara, &c. potus sit vinum rubrum, cerevisia tenuis recte defæcata, corpus quiescat quantum possibile; motus enim alvum movet: Somnus sit longior, sedat enim alvi fluxum: cura sit, ut urina rite fluat: fugiat vehementiores animi affectus; & hæc de diætâ in diarrhæa à bile.

§. XXXIV. Si vero serum, pituita & melancholia peccent, facile medicamenta lege contrariorum colligere possumus: v. gr. in pituitosa aër, cibus, potus, &c ad calidum & siccum declinent, ad incidendum scilicet, attenuandum & exsiccandum, & sic de cæteris, ut abunde docent auctores.

